



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Adnotationes || Et Meditationes || In Evangelia Qvae || In
Sacrosancto Mis-||sae Sacrificio || Toto Anno || Legvntvr;||**

Nadal, Gerónimo

Antuerpiæ, M. D. XCV.

Profundit omnia Prodigus Adolescens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78158](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78158)

EODEM SABBATHO POST DOMINICAM SECUNDAM QUADRAGESIMÆ.

Profundit omnia Prodigus adolescens.

EODEM CAP.

ANNO XXXIII.

In xliij. imaginem adnotat iunctura.

xliij.

- A. Arripit primam occasionem luxuriosè profusèque viuendi.
 B. Ita per luxum consumptis omnibus extruditur à

meretricibus, à parasitis deridetur, ab omnibus deseritur, fit miser.

67.

SECUNDA PARS EVANGELII MISSÆ.

Lvc. xv.

ET ibi^a dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè. Et postquam^b omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse^b cœpit egere.

ADNOTATIO.

A. **V**BI primum data illi occasio est profundendi que acceperat bona viuendo luxuriosè, eam arripuit; atque ad eam illam ipse studiosè quasiuit, & inuenit facile. Nam qui à suo patre discedit arroganter, à nequam hominibus facile occupatur atque peruertitur: qui à Deo discedit, è vestigio à tetris Demonibus conculcatur.

B. Nunquam satiantur malis hominum truculentissimi Demones, nunquam contenti sunt leuibus peccatis; sed ad grauiora impellunt identidem violentius, ut tandem ad ea peccatorem pertrahant, vnde sciunt facile emergere neminem, ad desperationem videlicet, ad infidelitatem vel hæresim, vel ad contemptum omnis vir-

tutis & boni, & ad peccata alia qua sapienter à sanctis hominibus dicuntur contra Spiritum sanctum. Hunc igitur iuuenem eo adduxit Dæmon per luxum & flagitia, ut consumptis omnibus, per pauperiem penè ad desperationem adigeret. Verum misericors Deus consilia Dæmonis in eiusdem caput retundere solet; & vnde perniciem Dæmon meditatatur, inde viam salutis suae clementia aperit. Consumptis omnibus bonis que à patre acceperat, miser adolescens ab amicis deseritur, à parasitis deridetur, à meretricibus extruditur; eget, in publica præsertim fame & annonæ caritate friget. Ea ad desperationem omnia Dæmon parabat; Deus ad salutem.

EODEM

EODEM